ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

N. V. Constantino Hugenio Equiti etc.
S. P. D.
Isaacus Gruterus

Vir Nobilissime

Quem eminus mihi fortuna ostentaverat salutandum, ut tanto magis illuderet postquam Trajecti invisum inaudientique subduxisset, cum per incertos adhuc quaero apud Spadanos in vici alioquin ignobilis celebritate ab advenis [illegible], vererer accusandum me concitati strepitus, et fors molestae interpellationis, qui fortem expertus meis conatibus adversam obnitor tamen ut extorsurus reluctanti quod sponte negare videtur, si non alterius te Minervae scirem; qui ut Musarum cultoribus patefacere soles totus, ita aut elicere in hanc arenam, aut non repudiare quos huc effert modestia non oblita alacritas, stimulos nacta latentes ab indole tua, cujus exacta vivunt in libris lineamenta. Mihi fortasse non desunt utriusque generis incitamenta, validiora praesertim in hac solitudine, in qua dum vivo exul paene ab eo literarum cultu quem Batavia frequentem habet, arrigo aures ubi fama obscurius se insinuat disertiusve percrebescit de adventu eorum ad quos gradum mihi struit vel studiorum cognatio, vel olim caste exercita familiaritas. Et putassem laesae venerationis notam effugere non potuisse, si insalutatus calamo autore ad Spadanos fontes te contulisses. Itaque qui coram audiri non poteram Trajecti dum aut amicis invitantibus vacas, aut filiis inspectanda offers quae ullo sui pretio curiosiores oculos detinent, literulis officium injungi; an a loci istius, in quo deverteras, hero oblatis, nescio. Bona an mala fide reddendum egerit, hinc mihi constabit, cum aut te interprete (si id alia permiserint) aut filio Constantino, exemptum videbo dubii scrupulum. Vale. Trajecti ad Mosam. v. Augusti. 1659.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 16
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5353b

A Monsieur
Monsieur De Zuylichem
a
Spa

franc Jusques Maestricht
a Liege

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 16
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5353b